

De sicca Ardenna.

Ardennam valles et cingunt ardua saxa,
 In pluviis¹ heret, nimio sub sole fatiscit.
 Juditio nostro semper cultore careret,
 Nullus carorum cupiat fieri incola terrae².

Ebenda auch eine Fabel 'De tribus ministris, urso, lupo, vulpe'.

Olim defuncto cuiusdam presule sedis,
 Consultis super hoc datur optio sola duobus.
 Hic lupus et vulpes pro re responsa dedere:
 'Nobis iudicibus non fiat episcopus ursus.
 Prepositus fratrum communes sorbuit escas,
 Partiri ignorans communia traxerat ad se'.
 Acriter inde lupum lacerans ferus ingruit ursus.
 Fratribus hic memorat vulpes vinaria custos.
 'Scitis', ait, 'de fratre lupo nostroque decano?
 Ecce cruentatum pro fratrum stipe videtis.
 Ursus in umge³ fero carnem a cervice diremit,
 Nam de coccineo res est manifesta galero.
 Hujus me cautam docuit rubeus galomaucaus.
 Stare procul liceat, dum nobis imperat, opto,
 Perfidus in minimis, raro in majore fidelis'.
 Huic minuatur honor qui contrahit omnia solus.

(39a) De quattuor calvis.

Quattuor ut calvi, calvo puto monte creati,
 Occurere mihi, fatie cum nomine noti,
 Mirabar sic conflatos quę flabra tulissent,
 Ridebam frontes levi quoque pelle glabellas⁴.
 Cujusdam subiit quinti mihi mentio calvi;
 Is plane curruca foret, si quintus adesset.

(40b) De rustico semper inculto.

Rusticus ut Coridon stupet in sermone disertī,
 Veste incompositus nulloque lepore facetus,
 Rustitius tonso, cui laxis calceus heret,
 Parvo interstitio referre videtur asello.
 Horret in ungue fero digitis et plemine fultis
 Et membris adeo incultis ac denique barbis,
 Silvestremque feram, quę capta tenetur, agit se,
 Simplicitas cui fida comes, quę fallere nescit.
 Talibus indultis pietatis opus perhibetur.

(40b) De variis nominibus per omen inventis.

Quidam optata suis inponunt nomina natis

1) Impluvius Hs. 2) Gl. scil. huius. 3) = ungue. 4) glabellas calvas, sine pilis; am Rande: glabrio toto capite nudatus.